

DECRETUM



Feria V. Die 24. Augusti 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D.N. ALEXANDRO Divinâ Providentiâ Papâ VIII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republicâ Christianâ adversus Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sanctâ Sede Apostolicâ specialitèr deputatis.



Antissimus D.N. ALEXANDER Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuò, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere; Et cum sui Pastoralis Officii munus sit, Oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacrà Theologiâ Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus sedulò commisit, qui pluries re maturè discussâ infrascriptis Thesis, seu Propositionibus super unaquâque ipsarum sua suffragia Sanctitati Sux figillatim exposuerunt.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientiâ objecti cum naturâ rationali: Formalis verò in conformitate actûs cum regulâ morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative
HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUX MORALIS.

II. Peccatum Philosophicum, seu Morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ poenâ dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus omnibus plenè, & maturè consideratis, primam Thesem, seu Propositionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & poenis contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure expressis; Secundam Thesem, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de eâ etiam disputaverit publicè, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à quâ non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quâcumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper distriçtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumquè conditionis, dignitatis, ac statûs, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, nè prædictam Thesem, seu Propositionem ad praxim deducant.

Loco (†) Sigilli.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Die 24. Augusti 1690. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum SS. D. Nostrî Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

SUA CELSITUDO præcipit præfatum Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum, ac Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium in totâ Republicâ Christianâ Generalium Inquisitorum ad subditorum suorum notitiam imprimi, publicari, & per Patriam ac Diocesium suam Leodiensem distribui. Datum Leodii sub Signaturâ Vicarii sui in Spiritualibus Generalis, & Sigillo suo consueto hâc vigesimâ-quintâ Januarii 1691.

CORNELIUS FAES, Vicarius Generalis Leod.

Locus (+) Sigilli.

HEN. MARTINI

REPUBLICAN



Faint, mostly illegible text in the upper section of the document.

Faint, mostly illegible text in the middle section of the document.

Faint, mostly illegible text in the lower section of the document.